

sionibus ad pietatis et caritatis opera invitemus. Cupientes igitur, ut ecclesiae canonicorum regularium sanctae Aerae in Misna piis fidelium elemosynis sublevetur, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui ad structuram eiusdem ecclesiae suas largiti fuerint elemosynas vel opem iuvaminis praestiterint aut de suis facultatibus quicquam legaverint eidem, de omnipotentis dei misericordia nec non beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, quadraginta dies indulgentiae de iniunctis sibi poenitentiis in domino misericorditer relaxamus. Datum Misnae anno domini M° CCC° VI°. III° kal. Junii. Praeterea XXX coepiscoporum nostrorum indulgentias praedictae ecclesiae datas et indultas similiter in domino confirmamus. Datum loco die et anno supradictis.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit einem grössern Siegelbruchstück und dem wohlerhaltenen Rücksiegel an einem von der Urk. selbst z. Th. losgetrennten Pergamentstreifen.

No. 193. 1312. 27. Dec.

B. Wilhego II. eignet dem Afrastift Geld- und Getreidezinsen in Hovechyn und Alberndorf.

In nomine domini amen. With. dei gratia Misnensis ecclesiae episcopus universis Cristi fidelibus ad quos praesentes litterae pervenerint salutem in domino sempiternam. Quoniam singulis ius suum integre est servandum, ut sic quiete vivant homines nec cuiquam dissidendi materia tribuatur, rationis interesse dinoscitur, ut quae pro devotionis affectu geruntur sic enucleat limitet et distinguat, ne ulla postmodum interveniente kalumpnia aliquatenus deflorentur. Ea propter universis Cristi fidelibus tam praesentibus quam futuris cupimus esse notum, quod cum felicis memoriae quondam Hermannus de Slynytze miles terrena pro coelestibus, transitoria pro aeternis cupiens feliciter commutare, bona quaedam in villa Hovechyn^{a)} prope Cellam sanctae Mariae sita, quae a nostris praedecessoribus iusto titulo feudali possederat, videlicet duos mansos duo talenta et quinque solidos denariorum et tres modios tritici solventes annuatim cum omnibus suis pertinentiis de consensu heredum suorum, qui praedicta bona postmodum ad manus nostras nobis libere resignaverunt, ecclesiae sanctae Aerae canonicorum regularium in Mysna donaverit, intuitu pietatis nos eadem bona cum omnibus suis utilitatibus ac pertinentiis, quae eisdem nunc insunt aut inesse poterunt in futuro, ecclesiae sanctae Aerae praefatae appropriamus et conferimus proprietatis titulo perpetuis temporibus libere possidenda. Item cum discretus vir magister Syboto perpetuus dictae Mysnensis ecclesiae vicarius decimam quandam in villa Alberndorf prope Nuenstat^{b)} sitam, videlicet duas maldratas avenae et unam maldratam siliginis apud Cuntzemannum civem in Mysna iusto emptionis et venditionis interveniente titulo eidem ecclesiae sanctae Aerae pie ac provide comparaverit, quam decimam idem Cuntzemannus ad manus nostras¹⁾ pure et libere resignavit, nos huiusmodi decimam ecclesiae sanctae Aerae saepedictae appropriamus in nomine domini in his scriptis. In quorum omnium et singulorum testimonium sigillum

a) Höffchen (Alt- u. Neu-), Par. Rüsseina. b) Ullendorf, Par. Naustadt.
1) nobis B.